

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXC.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

& ejus Præfecturæ Superintendens, Vir pius & doctus, mihi que amicissimus, qui meus aliquandiu Stutgardiaæ Collega fuit, per fratrem suum, D. Secretarium Laurentium, optimum & piissimum virum, Ministrorum Ecclesiæ apud nos patronum & Patrem, petiit, ut una alterave linea tantum ad R. tuam illi aditum facerem. Cupitenim R. tuam, ut veteranum, pium & sincerum Theologum, ex eorum munero, qui D.D. Lutherum, sanctæ memoriæ, audiverunt, videre. Quare R. tuæ optimum Virum commendo, & rogo, ut per suos domesticos curare non gravetur, si quæ videre in tam celebri urbe velit, quæ omnino admiratione digna sunt, ea in re ut ipsi velint esse adjumento. Apud nos, DEI beneficio, quotidie aliquid præparatur ad futuras nuptias Illustrissimi nostri Principis; quæ ut Ecclesiæ & Reipublicæ fæliciter cedant, non dubito, quin etiam Argentinenfes orent. Scio enim, vobis Illustrissimi nostri Principis & hujus Ducatus incolumitatem cordi esse. Bene & feliciter valeat tua R. & ex me, Reverendum & optimum virum D. Flinnerum saluret, unâ cum cæteris Collegis. Officiose R. tuam salutat D. M. Balthasarus, Præpositus noster, Datæ raptim, 21. Junii, Anno salutis 1575. Stutgardiaæ.

Tua R. studiosiss.

Lucas Oslander, D.

CXC.

*Salutem in Christo. Reverende & clarissime vir, amice
in Christo charissime.*

D. D. Henricus Efferen, cui inspectio & cura Ecclesiarum Mompelgardensium commendata aliquot annos fuit, jam certis de causis, bona tamen Principum gratia, revocatur.

Ei succedit, qui tibi has offert literas, Dominus M. Johannes Pistorius, vir doctus, pius, gravis, modestus, & qui apud nos ecclesiis cum fructu servivit, & in oppido Gröninga prope Aspergum Superattendentem egit. Graviter rulit illius discessum ecclesia, cui præfuit, & nos inviti ipsum dimisimus. Sed status Ecclesiarum Mompelgardensium talem virum postulavit, & necessitas nobis quasi extorsit & eripuit. Decrevit is cum familia per diem apud vos subsistere, & familiaritatem vobiscum atque amicitiam contrahere. Quamvis autem mihi abunde constet, de vestra facilitate, humanitate, atque egregia voluntate, erga omnes eruditos & pios viros, imprimis eos, qui à nobis proficiuntur; tamen amico meo optimo, apud amicum me-

Uuu

um cha-

um charissimum, per has literas aditum aperire volui, ut non deesset bono viro, apud vos ignoto, occasio vos compellendi.

Eum ita tibi commendo, ut qui omnium bonorum virorum favore & studio dignissimus sit, & te oro, ut quâ fide & zelo hæcenus Reichenvillanam Ecclesiam tuo consilio atque ope juvisti, eodem & operam tuam Ecclesie ac Superattendenti novo Mompelgardensi, si res ferat, præstes: à Domino mercedem, à M. Pistorio debitam observantiam, à nobis omnia pietatis officia expectans. Vale.

Reverendum vestrum presbyterium omne, imprimis Dominos Flinærum & Papum reverenter ex me salutari cupio. D. D. Jacobus Andrea, ab Illustrissimo nostro principe in Alen, petentibus civibus, mittitur, quod est imperii oppidum, intra Gemundam & Nördlingam situm, ut eo in loco ecclesie reformationem instituat. Nam cives repudiata idolatria Papistica, Augustanam Confessionem amplexi sunt. Datæ 24. Junii, Ao. 75.

I.

Balth. Bidenbach.

CXCL

S. D. Reverende & carissime L. Erasme.

L iteras tuas, VI. Id. Septembris, Nicolao Engelardo, qui Wittebergæ sublitit, datas, Idibus Aprilis accepi. Priores etiam mihi redditæ sunt, ex quibus cum intelligam, non ingrata vobis esse qualiacunq; officia mea, in fratrem Philippum colata, ego sane eo ipso beneficium me à vobis singulare accepisse judico. Cum enim a prima ferè ætate mea, illustris & eximia Clarissimi patris vestri, erga meum Patrem & me benevolentia & fides verè paterna fuerit, lætaret sanè, aliquid grati animi testimonium, ipsi non ingratum, à me proficisci potuisse. Fratrem Philippum intelligo jam Scholæ Styriacæ Gubernatorem supremum esse, mortuo Ofio. Valentinum Erythræum audio operam suam Julio Duci Brunsvicensi in nova Academia Helmstadiensi addixisse. Eò & ego invitator. Sed jam de migratione in celestem Academiam potius cogito. Ideoq; & Wittebergensem vocationem superiore vere excusavi. Ab Oldenburgio triginta Joachimicos tandem extorsi. M. Jacobo mature satisfactum est. Reliquos decem remittam, cumprimùm certi hominis facultas erit. Nam huic Terræ filio credere non audebam. Reverendis parentibus tuis salutem reverenter opto, congruentem ad dulcissimam Pſalmi sententiam: Plantati in domo Domini, in atrii domus DEI nostri florebut, atq; etiam in senecta
vigen-